

Apoc. 1.

Apoc. 1. 4. n. 2. Christi Domini gloriam, ad majestatem ait: Et ecce sedes posita erat in caelo, & super sedem sedens, & infra n. 10. Procedebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno & adorabant viventem in sacula saeculorum. Dic mihi, magna aquila, quoniam ista sedens? Cur illius nomen non explicas? Si iste sedens est Christus Dominus (ut est omnium sententia Expositorum) cur ejus nomen hic non exprimis; praecipue cum ejus mortem, & passionem ad amissum scriptam in Evangelio tuo nobis reliquisti, & de ea in tua Apocalypsi frequenter etiam mentionem facias. Et tunc disertis verbis, Christi Domini nomen apponit. Christus Jesus primogenitus mortuorum, Apoc. 1. n. 5. Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, n. 7. & iterum: Ego Joannes participans in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu, Ibid. n. 9. Cur ergo in throno Christi Domini nomen abscondit; & tantum dicit, Sedens super sedem. Evangelista hauserat jam Christi Domini habitum, qui maxime vult agnosci inter presulas, passionem, tribulationes, ac cum ad thronos, & majestatis sedes devenit, tam alienus est Domini spiritus ab omni ostentatione, ut ibi occultari, ac abscondi maxime eligat, & ideo disponit, ut ejus nomen tunc non exprimat, sed silentio involvatur. D. Paschal. lib. 5. in Matth. Christi spiritus abjecta quae in humilia appetit, ostentationem fugit. Vide supra c. 5. n. 238. & 225. c. 6. n. 85.

Apoc. 11.

Christus humilitatem quatuor ostentationem ugit.

Paschal.

QUESTIO XI.

Quare Christus Dominus leproso praecipit se Sacerdoti ostendere, & munera offerre?

71.

Duo in hac quaestione inquiri. Primò, Cur mandat leproso se Sacerdoti ostendere. Secundò, offerre munus. Ad primum germana solutio illa est, quam in expositione dedi. Nam ad principem Sacerdotum, quem Marcus expressit; tanquam ad caput, & ad reliquos Sacerdotes tanquam ministros spectabat, mundatum à lepra inspicere; & de ejus mundatione testimonium dare; ne ergo legem violare videretur, & Sacerdotis officium usurpare, ut docent Tertull. lib. 4. Contra Marcion. c. 9. D. Chrysostr. homil. 26. in Matth. Orig. hom. 5. in diversos, ut etiam de miraculi veritate omnibus constaret. ut Abulens. 7. 20. docet, ad Sacerdotes mittit. Et quamvis Sacerdotes iniqui, & sacrilegi essent, honorem eis debitum mandat Dominus impendere, quod bene notavit Goffrid. lib. 4. epist. 22. Sacerdotem appellat, ait, quem scitebat esse sacrilegum. Ob personarum malitiam, noluit dignitatis auctoritatem diminuire, ac defraudare: proinde; quamvis persona iniqua, dignitatis tamen causa veneranda.

Tertull.

Chrysostr.

Origen.

Abulens.

Goffrid.

Sacerdos quamvis iniquus venerandus.

72.

Quare praecipit munus offerre.

Chrysostr.

Pelusior.

Quantum ad secundum, jubet Dominus munus offerre: quia cum leprosus mundatus esset, mandabatur ei munus offerre, Levit. 14. in gratiarum actionem, ut jam in expositione dictum est. Secundò, ut ait Chrysostr. Transmittit ad legem, ut iniquorum ora obscurat, ut non dicant, quoniam Sacerdotum gloriam rapuit, opus quidem ipse implevit, probationem autem illis concessit. Tertio Iudor. Pelusior. lib. 1. epist. 146. Eam ob causam, inquit,

leprosus munus lege indictum offerre jubebatur, ut utriusque Testamenti concordia demonstraretur, quod is qui morbum depulit, idem ipse est, qui legem quoque imposuit. U. legem honoraret, quam ipse dederat, eam adimplere mandat.

Quartò Abulens. q. 21. Fuit hoc propter ipsum mandatum, quia si non offerret munera, Sacerdotes nunquam judicarent eum mundatum, nec reducere ad communionem ceterorum, licet verè mundatus esset à Christo; nunc verò cum illis munera offerret, non possent jam eum repellere. Quamvis enim mundatus maximè sit, si ministris stipendium suum non solvas, nunquam te mundum, & absolutum judicabunt, ergo cum ad Sacerdotes pertineret judicium de mundatione leprosi date, si ipse munus non offerret, eum nunquam absolutum judicarent.

Quintò, Beda sic ait. Extendit Deus manum, & contigit humanam naturam, & eiecit à castis populi Dei, scilicet leprosus, templo reddidit, id est, jam poenitentes per confessionem. Offerre hostiam, viventem illi, cui dicitur: Tu es Sacerdos in aeternum. Per leprosum peccatores significavit, ut jam in hujus cap. principio dixi, & Joet D. August. serm. 32. ad fratres. Christus Dominus ergo manum suam extendens tangit eum ad contritionem, ac poenitentiam, & ad Sacerdotem mittit, ut per ipsum absolvatur, ac Deo reconcilietur, & tunc in Ecclesia Deo Patri gratissimum munus offerret, scilicet dilectissimi filij sui Jesu Christi corpus, in omnium peccatorum remissionem gratiae ac omnium donorum augmentum, in gratiarumque actione, pro tot, tantisque beneficiis receptis.

Sextò. Praecipit Dominus leproso, ut munus in lege praescriptum offerat, Levit. 14. scilicet duos passeris vivos pro se. Quod moraliter Euseb. Gallic. hom. in Dom. 3. post Epiph. bene explicat. Ille igitur, ait, qui mundatur, duos passeris offerat, & corpus, & animam Domino reddat, ut jam non mundi voluptatibus sed Deo serviat. Ceteras vero caeremonias, quae in leprosi mundatione fiebant, rectè ibi eas explicat, offerat ergo peccatum, dum mundatur, duos passeris Deo, scilicet, animam & corpus, ut totus integer homo Deo obsequio mancipetur, & non dimidia ex parte ambulet. Vide supra cap. 17. num. 19. & 20.

Septimò maxime ponderandum, quòd Christus Dominus leproso miraculum annuntiare vetat, & tamen ei mandat, ut oblationem in templo offerat, quod eleganter D. Hieron. lib. de vera circumcisione, solvit. Dum hominem, ait, quem in carne viderat leprosus, laudare prohibetur, Deum tamen maneris oblatione magnificat. Nec quasi homo praedicandus est, cui ut Deo sunt curatiois vota solvenda, nec in platearum angulis carnaliter celebrandus, qui spiritualiter sic adorandus in templo, ut si secundum hominem nil requirit, secundum Deum divina virtutis gloriam promeretur. Christus Dominus, ea quae ad sui laudem spectabant, vetat, ea autem, quae ad Dei gloriam pertinebant, requirit. Deinde, in divulgatione miraculi, aliquid apparebat, quod hominem respiciebat, in oblatione autem muneri totum in Deum ordinabatur, Christus autem Dominus, quod hominis esset poterat, prohibet, si secundum hominem nil requirit, & quo magis Christus Dominus ea rejicit, quae hominis erant, inde magis virtutem divinitatis in se habitantis declarat, ac manifestat; summa excellentia est, nil hominis requirere, nec indigere.

73.

Abulens.

74.

Beda.

August.

Antequam quis corpus Christi Domini offerat, prius se à peccatis mundet.

75.

Euseb.

76.

Hieron.

Magna excellentia hominum non indigere.

Magnalia

77. Matth. 11.

Magnalia Joannis praedicans Christus Dominus, ait Matth. 11. num. 7. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestitur in domibus Regum sunt, &c. Et tandem concludit. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Totus est Dominus, ut Joannis excellentias praedicet, ac ejus sublimitatem super ceteros principes temporales manifestet. Sed quoniam ad hoc assumitur fundamentum? Introducitur Joannes omnibus terrenis rebus denudatus, tanquam sine vestitu, cibo, & potu, aliunde super principes hujus saeculi mollibus vestitus, bysso, serico, & purpura mirabili artificio intertextura vestitus, & tandem concluditur, quòd Joannes sit omnibus major. Et quomodo homo omnibus denudatus praedicat potentes mundi, omni pietiosa suppellectili abundantes. Meritò sanè Joannes omnibus major, ut etiam in sensu morali dicam; non à possessione temporalium, sed ab eorum contemptu, & bene major ceteris principibus, qui hominum manibus non indigebat, non à terra aliquid expectabat, sed totum à caelesti gratia requirebat. D. Chrysostr. hom. 38. in Matth. Joannes, ait, in terris quasi in caelo versabatur. Natura namque omni necessitate superata, mirabile quoddam pergit iter: neminem vidi unquam conservorum, nec ab aliquo horum usus fuit, non lacte nutritus, nec lecto susceptus, non lecto, non foro, non alia re humana usus erat. Itaque dicebat Dominus, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.

Magna praesentia hominibus non indigere.

Chrysostr.

QUESTIO XII.

Tres quaestiones solvantur.

78.

Prima quaestio.

QUESTIO prima: Quare Judaei non Christum Dominum accusaverunt, cum leprosum tangeret, quod contra legem videbatur, Levit. 13. Respondet primò Abulens. quaest. 133. quòd leprosum tangere non erat in lege prohibitum, ut jam explicavi quaest. 7. in principio, quamvis tangens aliquam immunditiam contraheret secundum legem; nec in templum ingrederetur, antequam mundaretur, sicut etiam dixi citato loco de tangente mortuum: sic etiam Sacerdos, qui cremabat vitulam rasam, erat immundus, Numer. 19. num. 8. Ergo, ut ait Abulens, cum Christus Dominus in Galilaea juxta urbem Capharnaum maneret, & templum in Judaea esset, in Jerusalem, nemo habebat de quo posset eum rationabiliter accusare.

Abulens.

79.

Chrysostr.

Secundò respondet D. Chrysostr. homil. 26. in Matth. Primus itaque, ait, leprosum ipse tangit: atque ex tanto populo nullus accusat. Non erant quippe ibi iudicia corrupta, neque spectatores livore vitiosi. Propterea non modo, non calumniati sunt signum, verum etiam cum stupore venerati sunt, ejus potentiam tam ex dictis, quam ex factis adorantes. Pro tunc populus erat bene affectus, ac Christo Domino propensus, ac proinde in bonam partem interpretati sunt, quòd leprosum tangeret, erat quippe ad hominis sanitatem, ac miraculum: ac proinde non erat contra legem, ut jam dixi quaest. 7. Si verò postea Christum Dominum calumniati sunt, quòd hominem in Sabbato sanaret, Luc. 6. n. 7. Joan. 7. num. 23. Erant jam animi Sylvestri in Evang. Tom. II.

mo infesto erga Christum Dominum, ac proinde illud quod non contra legem erat, arguebant tanquam de lege, prout amor, vel odium est in corde; ita factum reputatur in ore. Vide supra cap. 8. n. 25. & c. 15. n. 25.

Quaestio secunda. An leprosus teneretur tacere: nam Christus Dominus ei silentium commendavit. Nemini dixeris. Jam solutionem hujus quaestionis, q. 10. n. 61. tetigi, rejecta ibi Toletii sententia. Dicendum est, quòd iste leprosus, non peccavit divulgando miraculum, ut ait D. Marcus. Ille egressus caeci vradicare, & diffamare sermonem. Ad quod Abulens. q. 8. responderet, quòd Christus Dominus non praecipit ei absolute tacere, quia frustra erat tacere, quod res ipsa manifestabat, sed in mentio Christi Domini erat, quòd iste non cessaret se ostendere Sacerdoti propter nuntiationem miraculi, ut sic indilate legem impleret, melius tamen dicendum est, ut citata q. 10. in oratione nona, quòd Christus Dominus hoc praecipit, quia quantum erat ex se, ob sui modestiam volebat omnem ostentationem evitare. Et ideo aliquando praecipiebat sua miraculosa opera abscondi; leprosus autem sicut & duo illi caeci sanati, ut beneficio accepto grati, ut hic ponderat Albertus Magnus, & Chrysostr. hom. 33. in Matth. mirabilia Christi per totam regionem diffuderunt. Tob. 12. num. 7. Opera Dei revelare, & confiteri honorificum est.

80.

Secunda quaestio.

Abulens. Lex sine mora implenda.

Gratus animus bene sciet non tacet.

Alb. Magn. Chrysostr. Tob. 12.

Quaestio tertia. Quare Christus Dominus praecipit huic leproso munus offerre, non verò illis decem mundatis, de quibus mentionem facit Lucas 17. n. 12. sed tantum illis ait, Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Respondeo, quòd iste leprosus, de quo sermo est in praesenti, fuit primus omnium, qui curatus est, & quia poterat dubium esse, an iste sanatus per miraculum teneretur offerre; ideo ad tollendam omne dubium; ei mandat oblationes exhibere in templo: quod etiam erat intelligendum in omnibus aliis ab ipso sanatis. Unde quando eis praecipiebat, ut se ostenderent Sacerdotibus, intelligendum erat cum oblationibus suis, ut lex disponebat; praecipue quia illi decem leprosi si legis observatores ostenderunt, ideo à longè steterunt, ut lex mandabat, Levitic. 14. n. 2. & qui legis est studiosus, satis est ea quae sunt legis ei insinuare.



CAP. XXI.

Demoniacus curatur de spiritu immundo.

Marc. 1. n. 21. Et ingrediuntur Capharnaum: & statim Sabbatis ingressus in Synagogam docebat eos. Ibid. n. 22. Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribae.

Tc 3 VER



VERSIONES.

Arias. Et percellabant. Syriacus. Etenim docebat eos, ut potestate valens, non autem, ut scriba ipsorum. Theophylactus. Docebat eos, tanquam auctoritate praeclitus.

ALTER TEXTUS.

Luc. 4. n. 31. Et descendit in Capharnaum civitatem Galilaeae, ibique docebat illos Sabbatis.

Alius. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ejus.

EXPOSITIO.

DE connexione praesentis textus dicam quaestione sequenti. In Capharnaum. Jesus cum discipulis suis, ac caetera turba, quae cum concomitabantur. Et statim Sabbatis, absque ulla dilatione, ac mora, pergit Dominus ad docendum; nactus hic bonam occasionem, erat enim Sabbatum, in quo die erat populus otiosus ab operibus servilibus, ut notant Euthym. Theophyl. & rebus divinis vacabat in Synagogis ad lectionem, ac ad acquirendam instructionem legis. Victor Antiochen. in Marcum, ait. Sabbatis enim, vel solum, vel potissimum inter se coibant Iudaei, idque non tam virtutis, hoc est, sanctimoniam, & obedientiam amore, quam legalis poena formidine. Prophani porius ducebantur poenis, quam virtutis amore. Et bene Dominus ingressus civitatem inchoat praedicationem Sabbato, ut ait D. Ambrosius lib. 4. in Luc. Ibi prius manum admoveat, ubi antea deserat. In officio enim mundi expleto opere suo, requiescit Deus, in ipso enim met die manum porrigit Dominus in civitate ad officium, ac reedificationem spiritualem salutis animarum. In Synagogis. hoc est, congregatio: ut latius explicavi c. 9. n. 13. Et stupebant in doctrina ejus, hoc est, admirabantur. Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut scriba; hanc sententiam late explicavi supra expositi. 9. & 9. 19. Vide ibi dicta.

QUESTIO I.

De ordine, & connexione hujus historiae cum superioribus.

POST admirabilem sermonem in monte, sanato leproso, ingreditur Dominus in Capharnaum, ut est omnium conveniens sententia, de quo ingressu hic agi à D. Marco, & D. Luca, mihi valde probabile est; & pro hujus rei explanatione notandum est, ut docent D. Hier. Beda; Hago, quod D. Marc. hic, & idem dicendum est

Marcus. Lucas. Hieron. Beda. Hago.

de D. Luca, quod licet ordinem historiae non sit secutus, Mysteriorum autem ordinem servavit. Unde ait Hugo. Marcus non servat ordinem historiae. Primo de arreptio in Synagoga sanato loquitur. Idem. Secundo de foetu Petri. Tertio de leproso, cum è contrario factum sit; sed haec ad nostram instructionem fecit, ut ait Beda. Quia haec tria significant peccatum in consensu, & opere, & consuetudine, quod est quasi lepra incurabilis. Et quod hoc miraculum de arreptio non contigerit immediate post vocationem filiorum Zebedaei, omnium est sententia, ut patet ex dictis cap. 7. & 8. in principio. In textu Lucae etiam res est manifesta, quod non servetur continuatio, ut observant Hugo, & omnes communiter, quia illa historia, quae praecedit in textu de supercilio montis pertinet ad secundum annum praedicationis Christi, ut observat Baradas. Baronius, Beaulxam. Bartradas, Franciscus Lucas, Cornelius à Lapide, & alij.

Pro ergo exacta hujus rei intelligentia recolendum est id, quod supra dixi c. 10. quae. 1. & 2. quod sermo Domini in monte scriptus à Matth. c. 5. est distinctus à sermone commemorato à D. Luca, sunt enim duo sermones distincti, quamvis ex magna parte similes, tamen diversis temporibus fuerunt habiti, ut docent D. Basil. Tolet. & alij citati allegatis locis; nam sermo scriptus à Matthaeo, habitus est primo anno praedicationis Christi, ut citata q. 1. ex multis patribus probavi, & ita ante vocationem Matthaei, quam ipse narrat cap. suo 9. n. 9. At sermo scriptus à Luca fuit habitus post designationem Apostolorum, Luc. 6. n. 20. Et consequenter post vocationem Matthaei, cum ipse fuerit numeratus inter caeteros Apostolos, Luc. 6. n. 15. Et ideo fortasse Matthaeus maximus temporum observator, ut eum appellat D. Hieronymus, nominationem Hieron. Apostolorum narrat cap. suo 10. n. 2.

Et ideo curatio leprosi recitata à D. Matthaeo cap. 8. num. 1. secuta est sermonem de monte, de quo ipse supra egerat; sanitatem autem pueri centurionis, conjungit Lucas cum fine, ac terminatione sermonis in loco campestri, cap. 7. n. 1. Et ideo cum illo mihi videretur conjungenda, quod etiam placuit Cardinali Toletio in cap. 6. Luc. annotat. 23. §. secundo sermonem; Matthaeus autem ob ipsum ingressum in Capharnaum antecedenter ad tempus narravit historiam centurionis, de crevit enim non referre sermonem in loco campestri, ob similitudinem, quam habet cum sermone de monte; & ideo relata historia centurionis, transit iterum ad seriem textus, texendo historiam de foetu Petri, de scriba, de tempestate sedata, de hydropico sanato, & quia hoc miraculum de arreptio sanato, & quantum colligitur ex textu Marci, & Lucae, praecedit historiam de foetu Petri, ut etiam docent Janfen. Beaulxam. Janfenius, Barrad. Francisc. Lucas, Cornel. ut patet ex sua serie historiae Evangelicae, ideo post sermonem in monte in ingressum urbis Capharnaum est referenda. Quod etiam supponit Card. Hugo, hic in Ma. c. ait: Marcus nihil agit de sermone in monte, sed transit ad miracula, & primo de arreptio, &c. Ergo supponit sermonem in monte jam habitum fuisse; post cujus terminationem succedit haec historia de arreptio, de foetu Petri, & Scriba, ac omnia illa alia, quae Matthaeus exinde ordinatim narrat cap. 8. & 9.

Marc. 1.

Marc. 1. n. 23. Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit.

VERSIONES.

Vatabl. Theo. Homo obnoxius spiritui immundo. phylact. Homo qui tenebatur spiritu immundo. Syras. Homo habens spiritum immundi. Tolet. in c. 4. Luc. Homo habens spiritum immundi. an. 55. ex Graec. Dæmonij immundi.

ALTER TEXTUS.

Luc. 4. n. 31. Et in Synagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamavit voce magna.

EXPOSITIO.

NOTAT Hugo, quod D. Marcus in hac sua mysteriosa narratione. Primo posuit opus pietatis in vocatione discipulorum: postea, opus sapientiae in praedicatione, & doctrina, nunc opus potentiae ponitur in miraculorum operatione. His instrumur, ut semper pietas, & sapientia praecedant potentiam, quibus illa datur, ac regatur; & erat in Synagoga eorum, id est, tunc temporis Synagoga in Capharnaum aderat. Homo in spiritu immundo, id est, habens in se spiritum immundum ac malignum seu, ut explicat Syrus, qui tenebatur spiritu immundo, ab illo enim Dæmone, erat homo possessus, & detentus, ac si ab illo esset devictus. Et exclamavit, ut ait D. Lucas, voce magna; exclamavit, nempe spiritus immundus, seu Dæmon, per os hominis, tanquam per organum, ut ait Chrysostr. Chrysostr. homil. 5. in Marcum, si opus ejus est; quasi tormenta sustinens, quasi in dolore positus, quod si flagella ferre non valens. Nam, ut bene ait Beda, praesentia Salvatoris tormenta sunt Dæmonis.

Hugo. Pietas, & sapientia, concomitantur potentiam.

Syrus.

Chrysostr.

Beda.

QUESTIO II.

De nomine Dæmonis, de ejus ingressu in corpore humano, ac energumenis, & arreptitiis aliqua notantur?

DE nomine Dæmonis multa, & late adducit Bubalus tom. de Angelis, quae. 50. quae. sua prima, art. 2. difficult. 2. & etiam in secunda parte illius. Ubi multae significationes possunt videri. Illa tamen est valde celebris, quae deducitur à nomine Graeco, quod idem valet, ac scio, seu novi, unde Dæmon est nomen Graecum, & idem valet, ac sciens, seu sapiens apud Latinos,

Bubalus.

unde apud priscos Philosophos, hoc nomen in bonam & malam partem accipitur, ut testatur D. Isidor lib. 8. Etymolog. c. 11. Unde etiam Philosophi bonos Angelos Dæmones vocabant, ut ex Marco Ficino refert Suarez tom. de Angelis, lib. 7. cap. 1. num. 6. Tamen hodie communis vox, ut docet Magnus Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, August. cap. 13. & seqq. & lib. 9. cap. 19. secundum usum Scripturae, & Christianorum, Dæmones in malam partem accipit pro damnatis spiritibus, quod etiam apud Paganos jam observari solitum est, ut refert Eugubinus lib. 6. de peren. Philosophia, Eugubian. cap. 18. & l. 8. cap. 21. & 26. Significat enim nomen Dæmonis, ut advertit Toletus in cap. 4. Luc. ann. 53. scientem sine charitate, quae scientia non adhaeret, sed inflat, & non est in bonum, sed in malum.

Quod Diabolus aliquando ingreditur humana corpora, aperte docet sacra Scriptura, & largi experientia tot saeculorum demonstrat; multi enim effectus quos videmus in arreptitiis, non proveniunt ab influenza stellarum, non ab aliquo Dæmone exterius assistente, sed interius, ut docent D. Hieronymus cap. 5. Math. D. Augustinus, & alij Doctores statim citandi, & probat Joannes Cæsarius lib. 5. cap. 15. ex sacra Scriptura. Quia Christus praecipit Dæmonibus exire à corporibus. Marc. 5. n. 8. Exi spiritus immunde ab homine; ergo intus fuerat, non enim recte dicitur exire, nisi quod intus est.

Spiritus Dæmoniacus, non est in homine, ut spiritus humanus, seu anima, non enim potest esse forma corporis humani, nec ibi est tanquam pars integrans corporis, sed tanquam locatum in loco, in instrumento organico usurum; & sicut nos virtute propria, manus applicando corporibus, ea multipliciter movemus: ita Dæmon intra corpus existens sua virtute ea movere, & eorum membra; & cum ipse sit spiritus, inter hominem, nullum locum quantitativè occupat. Quae omnia rectè docent, & explicat D. Augustinus lib. 19. de civitate cap. 4. & lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 82. D. Thomas quodlib. 13. art. 8. Cæsarius lib. 5. cap. 13. Abulensis in cap. 7. Exod. quae. 16. & in cap. 8. Math. quae. 113. Delrius lib. 3. de Magicis d. Delrius, quae. part. 1. quae. 4. & 4. circa medium. Toletus in cap. 4. Luc. annot. 54. Et quamvis Diabolus ingreditur humanum corpus, non tamen potest illabi in mentem hominis, solus enim Deus illabitur menti nostrae, ut docet D. Thomas citato D. Thom. loco.

Diabolus ingreditur corpus humanum, Deo sic permittente, ad ostentationem suae gloriae, seu ad peccati punitionem, sive ad peccantis correctionem, sive ad eruditionem nostram, ut agnoscamus nostrum crudelem adversarium, à cujus tyrannide nos ipse liberavit; Delrius verò citatus in fine sectionis, ait quod Deus hujusmodi ingressum Diaboli permittit aliquando propter grave aliquod peccatum obfessi, & non raro etiam propter parentum iratorum imprecationes, quod triplici exemplo confirmat Joannes Cæsar. lib. exempl. cap. 11. 12. & 16.

Quia à Diabolo vexantur, quidam dicuntur energumeni, quidam arreptiti. Inter quae nomina haec est differentia. Energumen vox Graeca, & idem valet, ac agi, & operari; unde illi, qui agitantur, seu excitantur à Dæmone, sive se ipsos torquendo, sive proprium corpus dilacerando,

Isidor.

Suarius.

August.

Eugubian.

Hieron.

August.

Cæsar.

Hieron.

August.

Cæsar.

August.

D. Thom.

Cæsar.

Abulens.

Delrius.

Tolet.

August.

D. Thom.

Cæsar.

Abulens.

Delrius.

Tolet.

August.

D. Thom.

Cæsar.

Abulens.

Delrius.

Tolet.

August.

D. Thom.

Cæsar.

Abulens.

Delrius.

Tolet.

August.

D. Thom.

Cæsar.

Abulens.

Delrius.

Tolet.

August.

D. Thom.

Cæsar.

Abulens.